4°

✠

PERILLVSTRI, ac Reuerendissimo domino, vti fratri, domino Archiepiscopo Granatensi.



Er Illustris, ac Reuerendissime domine, vti frater, Admodum Reuerendus D. Franciscus de Munita ab amplitudine tua ad inuicẽda Beatorum Apostolorum limina obligatus, id munus piè, ac diligenter obiuit: nam & Sacrosanctas SS. Petri, & Pauli Basilicas visitauit, & Sacræ Congregationi Cardinalium, Concilio Tridentino interpretando, ac Prælatorum eadem limina visitantium postulatis audiendis præpositæ ore, & scripto de istius Ecclesiæ statu, deque prouida, ac verè Pastorali amplitudinis tuæ in grege sibi credito custodiendo, atque ad salutem informando vigilantia ea retulit, quæ cum ingenti lætitia audierunt Illustrissimi Patres, qui nihil aliud propterea addendum existimantes, tãtum ad aliquod eius relationis capita ad hunc modum responderunt, videlicet. Clericum vltramontanum, absque literis dimissorijs sui Ordinarij, ab Episcopo Italiæ, ad Ordines promotum, nequaquã posse ab eodem Ordinario absolui, sed a Sede Apostolica petendam esse dispensationem, ex Constitutione fœlicis recordationis Clement. 4. quæ incipit: Sæpè contingit, quam Sacra Cõgregatio re diligenter perpensa, censuit minimè sublatam fuisse eiusdem Concilij decreto, cap. 8. Ses. 23. neque Constitntione Sanctæ memoriæ

moriæ Clement.8.incipienti: Romanum Pontificem moderatoria alterius Constit. Sixti 5. fælicis recordationis, quæ incipit: Sanctum, ac salutare.

Præterea, Clericos quoscumque, qui de propria sufficientia diffisi, vt rigorem examinis sui Ordinarij effugiant, vel quod sufficiens Beneficium, aut patrimonium non habeant ad alienas Diœceses diuertunt, ibique obtinent sibi conferri Beneficium aliquod tenuissimi redditus, atque ad illius titulum, vel ementiti patrimonij, absque literis dimissorijs sui Ordinarij, ab Episcopo Beneficij ordinantur, vtique censeri in fraudem promotos, ac proinde suspensos esse á susceptorum ordinum exercitio, quan diu proprio Ordinario videbitur, & Episcopos, qui eos scienter, seu affectata ignorantia, vel quocumque alio figmento quæsito præsumpserint ordinare, per annum á collatione ordinũ suspensos esse ad præscriptum Constitutionis Gregorij 10. in Concilio Lugdunensi adita, quæ incipit: Eos, qui Clericos, & decreti, cap. 8. superius relati. Ideóque Capellanum istius Diœcesis, qui ad titulum Capellaniæ annui redditus ducatorum 250. Subdiaconatus, & Diaconatus ordinibus susceptis, ne in examine repulsá pateretur, quippe qui se minus idoneum senserat, vicinum adijt Episcopum, à quo Capellaniam quinque ducatorum institui, ac sibi conferri obtinuit, eaque obtenta ab eodem Episcopo ad presbyteratus Ordinem promotus fuit, in suspensionem incidisse; proindeque debere eum ab Ordinum ministerio abstinere arbitrio amplitudinis tuæ. Idem esse de ijs, qui commenticijs patrimonijs, aut eorum valore ad iustam summam per fraudem adaucto se se Sacris Ordinibus obtendunt; quando quidem & si decre

tum

tum Concilij, cap. 2. Ses. 21. prohibens aliquem ordinari ad Sacros Ordines, absque titulo sufficientis Beneficij, vel patrimonij, in illis verbis: *Antiquorum Canonum pœnas super his innouando*, innouauerit pœnam, vt mensa Episcopalis teneatur ad alimenta ordinati ad præscriptum, cap. cum secundum Apostolum, de præbend. non autem pœnam, vt ordinatus sit suspensus, iuxta Can. neminem, & Can. Sanctorum, 70. distinct. diuersum tamen censeri debet cum Clericus, circa huiusmodi titulum in ordinatione fraudem committi: eo enim casu pœna suspensionis ante Concilium non fuit correcta, & hodie a Tridentino Concilio est innouata, ita vt propterea Clericus qui adhibito dolo, confictoque titulo ordinatorem decipit, sit ipso iure suspensus, careatque Ordinis executione.

☞ Postremo regulares ad audiendas personarum sæcularium confessiones ab amplitudinis tuæ prædecessoribus approbatos posse, rursus ab amplitudine tua pro maiori suæ conscientiæ securitate examinari quemadmodum dissertis verbis statuitur Constitut. fælicis recordationis Pij 5. quæ incipit: Romani Pontificis. Quod si cōtra ædictum ab amplitudine tua promulgatum, vt se iterum subijciant examini confessionibus audiendis se se Regulares intruserint, in eos vt cumque exemptos licebit amplitudini tuæ grauiter animaduertere facultate sibi attributa Constitut. Sanctæ memoriæ Gregorij 15. non ita pridiem ædita, quæ incipit: Inscrutabili Dei prouidentia. Quibus cum amplitudinis tuæ dubitationibus satisfactū putemus quod reliquum est, salutem illi plurimā in Domino impertimur, ac diuturnam precamur fælicitatem. Romæ, die 9. Septembris, 1623.

Amplitudinis tuæ per Illustris, ac Reuerend.

Vti frater studiosus, R. Car. Vvald.